

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema LXXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

II. Pii & cordati non recreantur, si lugubria & fune-  
bria tractentur. Quin potius omni tempore lumbi sint  
accincti, Luc. 12. v. 35. lampades instructæ, Matt. 25. v. 4.  
Quia semper desiderant esse cum Christo, quod melius,  
Phil. 1. v. 23. liberari, Ro. 8. v. 22. superindui, 2. Cor. 5. v. 2.

F I N I S.

THEMA LXXXIV.

Eccles. 7. v. 4.

Melior est tristitia risu, quia, &c.

DISPOSITIO.

Salomon ille sapientiæ nomine celeberrimus, in capite  
7. libri sui, cui titulum fecit Ecclesiastes, tria ponit, quæ  
rationi humanæ possunt videri absurdissima. Is enim sem-  
per id, quod (secundum rationis humanæ iudicium) de-  
terius est, anteposuit illi, quod (eidem rationi) videtur me-  
lius. Melius enim, inquit, esse mori, quam nasci. Melius  
esse in domo luctus, quam in domo conuiuii. De his duo-  
bus aliis temporibus audiuimus. Tertium vero illud est,  
quod charitati vestræ prælegimus, non minus absurdum  
rationi, quam sunt cætera duo: quando dicit, Meliorem  
esse tristitiam risu. Certum autem est, quod Salomon non  
studio contradicendi, aut studio singularitatis hæc pro-  
posuerit, sed dictante Spiritu sancto. Et propterea ratio-  
nē addit, ex qua colligitur, quod vere res ita habeat: Tri-  
stitia enim cor emendat asserit. Videbimus ergo, quo-  
modo & in quibus melior sit tristitia risu: Et quomodo  
tristitia cor (iuxta hoc sapientis pronuntiatū) emendetur.

Recte autem pronunciaſſe Salomonem, colligitur ex  
ſequentibus.

1. Primum hæc tristitia melior est risu, cum propter  
peccata nostra contristamur. Quemadmodum Dauid  
coarctatur valde, 2. Sam. 7. v. 10. Niniuitæ, Jon. 3. v. 5.

Hæc tristitia cor emendat. Facit enim peccati agnitio  
& contritio, vt deprecemur culpam, & emendemus vitam.

Vide

Vide 2. Cor. 7. v. 10. Sic etiam facimus voluntatem Domini: Desiste à malo, Esa. 1. v. 17. Conuertimini, Jer. 3. v. 14. fit cor vestrum cum Deo, Pf. 62. v. 9. Scindite corda, Joel. 2. v. 13.

Contra vehementer irascitur Deus his, qui propter peccata non contristantur, sed gloriantur, Esa 3. vers. 9. & Jerem. 9. v. 5. & Jer. 11. v. 15. *Seyn noch gute Ding driber.* Et Esa. 28. v. 15.

2. Deinde bona illa est tristitia, cum non tantum propter nostra, sed etiam propter aliorum peccata contristamur. Hic enim non ridendum.

Non cogitandum id nihil pertinere ad nos, si modo ipsi non peccemus. At tristes esse debebamus, propterea quod Deus sic offenditur. *Nist the auch meinea Gott beleidigen.* Esa. 7. v. 13.

Tribus Israel, audientes factum illud Beniamitarum turpissimum, contristantur Jud. 19. v. 30.

Samuel super peccatum Saulis, 1. Samuel. 15. v. 11. Mose propter peccata populi, Exod. 32. v. 19.

Et hanc tristitiam præcipue hic intelligit Salomon. *Kais* enim significat iram, vel tristitiam, quæ comitatur iram super peccata. Sic decet irasci & tristari parentes propter delicta suorum liberorum. Multi parentes ridet, cum vident liberos esse blasphemos, spurcos in sermonibus, superbos in vestitu & aliis, &c.

Exprobratur hoc Eli, quod non contraxerit frõtem, 1. Sam. 3. vers. 13. Ideo grauius punitur parens cum filiis. Magistratus sic debet contristari propter peccata subditorum. Nec illa parui pendere, multo minus ridere ad illa debet. Gladium non frustra, Rom. 13. v. 4. Præsertim si inualescant scortationes, adulteria, &c. quæ toti Prouinciæ afferunt *πενολεθρίαν*.

Sic priuatus quilibet debet contristari, si videat honorem Dei labefactari, & Deum offendi.

Etiam hæc tristitia cor emendat. Sic enim nostris gemitibus & suspiriis testamur coram Deo, nos non delictari

stari his sceleribus, & dolere potius, quod sic propter alios male audiat nomen Domini, Rom. 2. v. 24. Simulque rogant pii, ne Deus ipsos inuoluat pœnis venturis cum aliis. Sic olim mandatum erat, Deut. 21. v. 8. Et necesse est hoc fieri. Quia peccata clamant in cœlum, Gen. 18. v. 21. 1. Sam. 5. v. 2. Deu. 24. v. 15. sicut sanguis Abel, Gen. 4. v. 10. Heb. 12. Et propter paucos sæpe multi puniuntur. *Zu he vnd Kasb mit einander.* Cum Corah multi alii pereunt, Numer. 16. v. 20. Tota familia Achan propter ipsius furtum, Jos. 7. v. 1. Propter concubinam, tota tribus Benjamin, Jud. 19. v. 25 propter Dauid septuaginta millia peste mortui, 2. Sam. 24. Quod si boni sic tridentur, Deus ipsis parcit, & non propter aliorum peccata punit. Loth eripitur ex Sodomis, Gen. 9.

3. Cum publica calamitates aut mala grauiora alios feriant: aut aduersi aliquid accidit proximo, decet etiam nos cum illis tristari, & illis tanquam fratribus compari. Flete cum flentibus, Rom. 12. v. 15. Estote compatiens, 1. Pet. 3. v. 8. Conqueritur Deus, quod nihil patiantur super contritione Joseph. Amos 6. vers. 6. Ratio ibi additur vers. 3. quia putant se longe abesse At sequitur Pœna, v. 7. Jonathan propter Dauidem tristis, 1. Sam. 20. v. 34. Et hic vicissim propter illum, 2. Sam. 1. v. 26.

Dauid propter Vsam, 2. Sam. 6. v. 8. Vide Psal. 35. v. 14.

Hæc etiam tristitia cor emendat. Sic enim cogitamus, ne nobis idem quoque aliquando futurum. Et felix quem faciunt aliena pericula cautum. Sic etiam studemus deprecari culpam & pœnam: & cum Deo reconciliamur, sicque stamus oppositi contra ipsum, Ezech. 13. v. 5. & 22. v. 20. & præparamus nos in occursum illius, Amos 4. v. 12. atque mitigationem vel omnimodam pœnarum condonationem impetramus.

4. Tandem vero, in genere, semper satius est non tristes esse, quam hilares & iubilantes.

Quia semper habemus occasionem lugendi. Et beati qui lugent, Matth. 5. v. 4. Beati fientes, Luc. 6. v. 21. Con-

tra: Væ tibi ridenti, quia mox post gaudia flebis. Ibi vers.  
25. Gaudium securitatem: tristitia parit cor Deo placens,  
2. Cor. 7. v. 10.

*Inquit aliquis:* Ergo ne semper vis nos esse melancho-  
licos, & frontem contrahere, atque subinde flere cum He-  
raclito illo Philosopho: Neunquam. semper gauden-  
dum, at in Domino, Philip. 4. ver. 4. Lætabaris coram Do-  
mino, Leuit. 23. v. 40. Deuter. 12. v. 12. Joel. 2. v. 21. Psalm.  
64. v. 11. & 97. v. 12. Lætabitur iustus in Domino. Luther.  
Fröhlich in Ehren ist Gott lieb. Frewd in Sünden ist die  
Teuffel. At non lætandum in rebus nihili. Amos 6. v. 13.  
Quia extrema gaudii luctus occupat, Prou. 14. v. 13. Hoc  
ergo medium tenendum quod Syr. 11. v. 27. & Syr. 18. v. 25.  
demonstratur.

F I N I S.

## T H E M A L X X X V.

Eccles. 7. v. 15.

*In die bona frueri bonis & malam diem etiam sustinere:  
sicut enim hanc sic illam creauit Dominus, vt nesciat ho-  
mo quid futurum sit.*

## D I S P O S I T I O.

Optime tum nos victuros, si tempori seruire discamus,  
& quouis tempore, vel ad bona recte toleranda, vel ad  
mala patienter ferenda simus parati, nemo est qui ite  
possit inficias. Hinc etiam Paulus, Tempori seruientes,  
4. v. 5. Et redimentes *tau xau egr*, Eph. 5. v. 16. Et sane tem-  
pora felicia semper sunt exoptata & grata: at nubila si  
fuerint, cor in pedes decidit, & vincit impatentia.

Docet ergo Salomon egregie, & quomodo tristitia siue  
secunda fluant tempora, debeamus agere.

1. Ostendit, vnde tempora mala & tristitia.
2. Ostendit, quare semper tristitia & mala misceantur lætitiis  
& bonis.

I. P A R T I S.